

/ Roberto Bellarmino S. R. E. Cardinali,

Ill/me et R/me Domine,

Ignosci rogo, quod serius de Felicitate sanctorum Libros excusos mittam. Primum intensum aliquot durum frigus operas retardavit. Deinde obitus optimae matris (cujus animae ob singulares virtutes, et maximis erga pauperes pietatem, Deus uti confido beneficiet) haud levem moram finierit. Primum opusculi folium jam miseram: at nescio quo casu factum, ut bina erratiola in ipsam praefationem irrepserint. Itaque ne quid praeter officinae Plantinianae decorum admitteret, recudendum censui. Proxima hebdomada, aut quando aurigae oportunitas erit, plura mittam exemplaria, Ill/mae D.V. reddenda, una cum R/di admodum Francisci Lucae Commentariorum in Evangelia quarto Tomo, de quo ipse auctor litteras suas praemisit: item P.Lessii de Summo bono et aeterna beatitudine Libris, Vita D. Augustini a P. Lancelotto Augustiniano conscripta, et Missali Romano, in quo S. Angeli Custodis missam R.V. legat, quam nobis cudendum transmisit. Et concionibus recudendum abstineo, ut omnem vel immerito querendi occasionem typographo Coloniensi tollam. De Graduali, typographus romanus, ut opinor, facile cudendi facultatem nobiscum partietur: neque nos de eo cudendo simus solliciti, ~~ini~~ propria haec typographiae Plantiniana sparta esset, quam olim prima exornavit. Vale Ill/me Ecclesiae ~~erabeee~~ princeps, et meae fratrisque Joannis obsequia et cultum benignus admitte. Antverpiae, in officina Plantiniana, XVIII Martii 1616.